

4

V. VTO. n. 19
18 1720,
142

L. D. B. VI
**HISTORIA
COMITVM
CONSISTORIANORVM
IN
IMPERIO ORIENTIS**

P R A E S I D E
IVSTO CHRIST. THORSCHMIDIO

L. A. MAG.

ORD. PHILOS. ADIVNCT.

AD DIEM XXXI. DECEMBR. A. O. R MDCCXX

IN ERVDITORVM CONSESSV

EXPLICANDA

A

**CAROLO FERDINANDO ZSCHOCHIO
STAUCHA - MISNICO**

PHIL. ET LL. CVTORE

VITEMBERGAE
LITERIS SAMVELIS CREVSIGII.

HISTORIA
MUNDI
MONSTRUM
SITUS
CHRISTIANA
MAG
ORDINIS ADIVT
EXCELSOR
ADIVTA
HISTORICO
SCHECHIO
VITAE
CARTARUM
VITAE

PER-ILLVSTRI
AC
EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
GOTTLOB
HIERONYMO
DE
LEIPZIGER
DYNASTAE IN HEYDA
ET REL.

POTENTISSIMI SARMATARVM REGIS ATQVE
ELECTORIS SAXONIAE CUBICVLARIO AVLAECAG
IVSTITIAE CONSILIARIO ET
SVMMI SENATVS ECCLESIASTICI
P R A E S I D I
EMINENTISSIMO
DOMINO SVO GRATIOSO

PER-ILLVSTRIS DOMINE


PAtere, pro TVA Benignitate, ut
Dissertatio, Summa, utriusque Pa-
latii Imperatorii, exhibens officia,
in TVAM, qui utraque gloriose ornas, gra-
tiam, praesidiumque recipiatur. TVVM
enim in fronte eius praefixum Nomen pars
operae est potissima, Teque plurima ex iis
ita

ita respiciunt officia, ut nullius ibi dignitates uideantur expressius repræsentari. Et per eos quidem reddita sunt ab A. A. Imperatoribus Graeco- Romano imperio sua praesidia, securitasque restituta. Per Te autem AVGVSTISSIMVS REX, postquam splendidissima ad exterros Legatione es perfunctus, uniuersae SAXONIAE salutis , quietis , tranquillitatisque spem, felicissimo omine confirmavit. Videlicet adhuc, animoque complectimur laetitiam illius diei, quo Summis in REGIA sede muneribus es redditus, quis concursus Ciuitatis, quae pene inferentium coelo manus audita uota , quae spes conceptae perpetuae sacrorum securitatis, postquam TE Eminentissimum SACRO CONSISTORIO PRÆSIDEM datum, intelle-

tellexere. Imminent nunc nobis tanto sub
PRÆSIDE benigna fata, quo, sub auspici-
is noui etiamanni, et multorum consequen-
tium, saluo ac incolumi, et res sacra stabit
integra ac intemerata, et demississimi Cli-
entes certissimum decus, praesidiumque
nanciscentur

PER-ILLVSTRIS DOMINE
DOMINE GRATIOSISSIME
VESTRAE EXCELLENTIÆ

CVLTORES DEVOTI
M. IVSTVS CHRISTIANVS THORSCHIMIDIUS
ET
CAROLVS FERDINANDVS ZSCHOCH



Ogitanti mihi, et cum animo meo
reputanti saepe, imperii, quod ab
Oriente nomen habet, maiestatem,
prisci que istius temporis statum
atque imaginem, et mirum pariter,
et indignum uideri solet, quod,
cum tantum non omnia uetus statis
monumenta curioso oculo a nostris inuestigentur,
una illa dignitatum apud Graecos Notitia maneat
intacta, in cultaque propemodum, ac derelicta habeatur.
Enimuero, multum a seculi, in quo uiuimus, ele-
gantia, humanitateque alienum esse oporebat eum,
quem non iuuaret animo complecti fulcra eminen-
tissima, quibus innixum maximum imperium tam-
diu stetit, nosseque instituta, artes, ac reliquum ui-
uendi genus, eorum, quos uirtus ad principale extu-
lit fastigium, quo magnis negotiis adiutores dati,
Principis onera iuuarent, laborisque ac fidei capa-
cissima ministeria, ipso rerum usu, reipublicae com-
probarent. Et sunt quidem ista officia ea, ex qui-
bns,

bus, qui rem sacram tractant, coelestium scilicet praeceptorum disciplinis innutriti, gubernandi, ac regendi coetus diuinioris, per ista tempora, rationes intelligere possunt. Legum quoque interpres, ubi ad diuersas inscribendi eas, subscrivendique rationes aliquid est commentandum, conuenientissimas disciplinae explicationes ex officiorum istorum notitia petunt, eruditaeque antiquitatis uestigiis gloriose insistunt. Haec sunt ista monumenta, ex quibus antiquus Medicis constat honos, palatinumque eorum officium, in alto collocatum, praemultis aliis exsplendescit. Qualis inde ad humanitatis potissimum studium accedat cumulus, quantumque reconditae eruditionis ex accurata harum dignitatum petatur recensione, me etiam tacente, intelligunt omnes. Hinc enim fiet, ut multae, ad horum officiorum modum componi possint aliorum imperiorum dignitates, earum fines atque limites, rectius describi, eoque facto, Graecae, Romanae, Franciaeque historiae scriptoribus, multis in locis, satis alias obscuris, clarissimum lumen praeserri. Cuius quidem rei rationes, cum intra me uolui, reuoluique, tum specimen aliquod *Lectionum Historicarum*, in uicem Dissertationis publicae, editurus, apud animum meum constitui, illud maxime, quo supremi olim, sanctiorisq[ue] Nouae Romae Imperatorum Senatus, dignitas

DISSERTATIO DE COMITIBVS CONSISTORIANIS.

tas continebatur, Comitum uidelicet Consistorianorum, notitiam, breui hoc, recisoque opere completi. Facile autem perspicio, fore ut uix iusto opere tanti magistratus amplitudo ac splendor possit exhaudiri, nedum a nobis hic impleri, unde bona Lectoris uenia, gratiaque, mihi sub ipsum operis exordium erit imploranda prius, deinde aliis largior post nos, uberiorque forte, mesis relinquenda.

TRACTATIO

I. Comitum origo denotatur

NVNC, quoniam de instituto nostro exposuimus, opus est, ut etiam tempora colligamus, per quae fuerint illi Consistoriani Comites, quorum nunc memoria recolitur. Et antiquior quidem paulo Comitum est origo, quorum initia, minime fallenius, siquidem ab Augusti, Romanorum Imperatoris aetate deriuemus. Senex enim iste, ac grandaeus factus, primum mensibus singulis Senatores adsciti quindecim, quorum consilio in regenda republica uteretur. Sed nondum sufficiebat numerus iste negotiorum moli, hinc mox uiginti in illud priuatum consilium adsciti, ex ipso Senatu, eodemque consentiente, hisque annum officium datum, ratumque, quod isti sancirent habitum, non secus, ac si ab uniuerso Senatu esset decretum. Cognoscebant autem, una cum Principe, de causis tum publicis, tum priuatis, solique in isto sacro Senatu sententiam dicebant. Meminit quoque Tacitus M. Cluuii Rufi, qui Comitatui Caesaris Vitellii adiectus fuerat, licet Rector esset prouinciae Hispaniae, Hist. L. II. n. LXV. Porro

Hadrianus, Spartiano teste, magis Comitum dignitatem confirmauit, quando optimos quosque e Senatu in contubernium imperatoriae maiestatis adsciuuit : cumque antea amicorum cohors ex equestri plerumque ordine constaret, hic in lustrandis imperii prouinciis diligens et assiduus, amicorum turmam secum habuit, quam Comitatum, ipsos autem amicos, sacrorum consiliorum participes, Comites appellauit. Ante rem publ. Rom. sub Principibus constituendam, Comitum nomen uel rarius, uel nulla honoris nota adeo erat insigne, siquidem, cadente demum Romana libertate, cum imperium penes Augustos esset, ipsique Domini a proceribus appellarentur, hi quoque gratiae testandae ergo, dignitati eorum aliquid adiiciendum esse duxerunt, illosque, quos *Ministros* hodie uocamus, Comitum titulo insignibusque co honestarunt. Cuius rei illustre sane exemplum extat in Sidonio, L. I. Ep. XI. ubi Augusto, ita eum alloquenti, *Audio COMES sidoni, quod satyram scribas,* respondet Sidonius, *Si quis est iste, DOMINE Imperator, publice accuset.* Eminentiam tandem, honorisque praerogatiuam prae omnibus aliis dignitatibus statim post Despotam, Sebasteatorem, primu[m]que Augustum, Constantini tempora Comitibus concessere, perpetuumque iis ac honorificum titulum afferendo effecerunt, ut ordine non interrupto honos iste ad posteros transferretur.

II. Diuiso Comitum

Magni rem laboris in se suscepit CL. Iac. Godofredus, cum genera Comitum singula recentisuit, in Notitia Dignitatum Codicis Theodosiani ex uariis legum, edictorumque inscriptionibus, contentis ipsis, ex subscriptiōnibus etiam, non minus, ac ex omni literaria antiquitate, quam studiosissime fieri potuit, collecta. Non minus praeclarę de hisce Dignitatibus est promeritus Ducangius, in utroque

que Glossario, nec non in aliis suis operibus eas complectens. Explicat easdem *Iac. Gretserus*, tribus Commentariorum libris, in *Georgii Codini Curopolatae*, de officiis et officiis Magnae Ecclesiae, et Aulae Constantinopolitanae, Librum: uerum tamen, ampli hi disertique Commentarii nec mendis carent omnino, siquidem ea, qua Gretserus uiuebat, aetate, uoces illae neotericae Graeciae, nondum in occidua Europae partes erant allatae. Ipsum autem in se Codini opus non quidem propter uetusatem, sed propter nouitatem, quae quidem maiorem lucem debebat promittere, habetur admodum obscurum. Agit enim Codinus de uocis solum Graecia, non uocibus tantum nouis, sed, quod mirum est, iam obsoletis: accedit, quod usus iamdum alias inuexerat mores, ritus, officia, uestes, et his similia, integrumque adeo immutauerat Graeciae statum. teste *Iac. Goaro*, Praefat. ad Lectorem Editionis Codini, splendidissime ab eo concinnatae, ac Mazarinio Cardinali dedicatae, anno MDCXLVIII. Vnde non adeo nostrae inuestigationi accommodatum deprehendimus istum, nisi in quantum per meritissimum de omni antiquitate virum I. Goarum in ordinem, ac legitimam quandam cum antiquitate consonantium est redactus, nec sine magno labore suppletus. Faciunt hoc ex parte Catalogi Dignitatum MSpti Regii, *Mattbaei* scilicet *Iatri* Monachi, aliorumque ignotorum, idemque *Codino* antiquiores, qui uero, quantum ad ordinis spectat rationem, si tempora subducas, multum inter se discrepare animaduertuntur. Adeoque recentiores Tabulae nostrum studium non adeo iuuant, quin ex ueteribus, siquidem superestent eae, omnia accuratius potuissent describi. Quod si tamen rationes subducamus probe, omnemque in prisco Imperio CSpol. Comitum ambitum, paucis gradibus, licet eorum numerus, centenarium longe superet, metiamur, tres maxime

maxime erunt Ordines, alius Palatinorum, alius Confistorianorum, et tandem Prouinciarum. Curant siquidem alii atque circumstant Principis personam, et uel eam armis tuerentur, uel eiusdem res priuatas, quae in Palatio peraguntur, moderantur, alii res Principis, curasque publicas administrant, utpote in partem oneris regiminis adsciti, coramque eo in sanctiori sacrario consistunt: alii tandem extra aulam prouinciis adiunguntur, absentisque Principis uices gerunt. Paucis: alii Palatinis, alii militaribus muneribus funguntur. Ita sibi constabit officiorum dignitatumque per omnes imperii orientalis periodos, ordo, ut, quemadmodum Ecclesiasticis dignitatibus ex eo praerogatiuam accersunt Graeci, quo propior quis ad altare, sacraque eius munia, accedat: ita in ciuilibus his demum honor concilietur maior, quo propior quisque sit personae Imperatoris, in officio, et quo sanctiores sint res, quae consilio, fidei atque ministerio eius subiiciantur.

III. *Consistorii nomen*

Purioris Latii linguae uox non est illa Consistorii, quam posterior Latina Graecaque inuexit aetas. Denotat autem ea locum, in quo consistunt de rebus communibus, sive ciui-les istae sint, sive sacrae demum, deliberaturi. Vtitur ea frequentius Ammianus Marcellinus, ubi Principi purpuram in Consistorio offerri solitam, scribit L. XV. et L. XX. accitos in Consistorium Senatores, Augusto habitu fulgentem Principem conspexisse. Suidae Κονσιστόριον et συσημα unum idemque sunt, quandoquidem ibi consistant, et περὶ τῶν ἐπειγόντων, de rebus urgentibus deliberarent. Hesychio idem est ac Θέον συνέδριον nec non βασιλικὸν σεμερετον. Glossae Iuris MSpiae Θέον Κονσιστόριον interpretantur σεμερεταῖον βασιλιον; Vnde in Concilio Chalcedonensi Action. I. Secretarius θείας κονσιστορίας, quae singula sparsim etiam in Libris Basiliocōn

DE COMITIBVS CONSISTORIANIS.

9

silicōn reperiuntur. Consistorianus adeo est, qui ad Consistorium pertinet, ac refertur, hinc idem Ammianus: *Statuit Imperator, dispicientibus Consistorianis, et militaribus uniuersis, in negotium praeterinquiri. item: inquirentibus in negotio Consistorianis, atque militaribus, Proculus admoustur eculeo.* Lactantius, puri sermonis admodum studiosus supremum istum Principis Senatum *Secretarium* uocat, in quo tribunal sit positum, de Mart. Persec. C. XV. Rationaliumque ac Magistrorum, Iudicium item ac Vicariorum, Diocletiani tempore usitata nomina, recenset, officiaque ista inter Basilica refert. dicto libro passim. Et quamvis Consistorii nomen non usurpet ille, Comitum tamen appellationem, sub Maximiano proxime ad istam dignitatem accedentem, silentio minime transit, utpote qui tertium, quartumque Magistratum ordinem constituebant. Primi autem et secundi iordinis Comites Inlustres scilicet, ac post hos Clarissimos atque spectabiles, subidem tempus Constantinus M. instituit, de quo Eusebius in uita: *Comites uero alios in primo ordine collocauit, alios in secundo, alios in tertio.* Hos uero Consistorianos fuisse, clarius mox patebit. Pristini deinde memor instituti, Gratianus Consistorium, eiusdemque honorem, ut a Diuo parente suo Constantio (ita enim in literis ad Ausonium parentem eum, qui non esset, appellat) acceperat, retinet, et ubi per uarios Comitiuae gradus adscendere praecceptorem suum uellet, Quaestorem prium creat, mox duplii praefectura, prima Italiae, altera Galliarum, praecingit, Consulem tandem declarat, missaque palmata ueste, in qua diuus Constantius, Parens, in textus erat, Consulis prima dignitate ornatus, neque a se dimittit, sed in Palatio semper secum habet. Sanctitatem istius Palatii, in quo Consistorium, cui interfuit ipse, eleganter describit Ausonius in Grat. actione ad Gratian. Imperat.

B

I³

*In illa uero, ut ex more loquimur, Consistorii, ut ego sentio, sacrarii
tui, nullus anquam superiorum aut dicenda pensus cogitauit, aut
consultius cogitata dispositus, aut disposita maturius expedivit. De
eodem Consistorio magnifice sentit idem, ubi mox fastigium
auditorii sacri, mox profundi altitudinem secreti, mox se-
cretum paucissimorum appellat, et ut tandem paucis loci ma-
iestatem eloquatur, Sacrum imperialis oraculi uocat, qui
locus horrore tranquillo, et pauore uenerabili, raro, in eo per-
orantibus eundem animum praeset ac uultum.* Legitur in
Codice Theodosiano I. III. de Praetorii Iudicialis instruc-
tione: *Pars Actorum babitorum in Consistorio Gratiani Augu-
sti, ubi ille cognoscens cum suis Consistorianis, dixit etc.* Inter-
pretatur Consistoriorum *Franc. Poletus*, ita, ut Antecessorum
confessum fuisse dicat, Hist. Fori Rom. L. I. C. IV. At enim
uero facilis est consensus, cum ex antiquitate constet, ipsos
Praefectos, Vicarios atque Praesides, quaestores item, fuos
habuisse antecessores, qui uocarentur Illustribus Adsi-
entes. Quos tamen ab iis, qui Comitiua primi Ordinis
gauderent, et Viri Inlustres in *actu positi*, siue Agentes essent,
ut distinguamus, uaria Imperatorum ea de re Rescripta,
iubent

IV. Comitum Consistorian. Diuiso

Duplicis generis Comites sunt Consistoriani. Alii *in*
Consistorio, alii *intra* Consistorium, teste Grutero in In-
scriptione, quam quidem diuisionem his formulis conce-
ptam, ridet lac. Godofredus, Comment. ad l. un. de Comit.
Consist. rem tamen concedit. Certum enim est, honoris
praerogatiuam datam esse, aliorum primorum ordinum
Comitibus, ut intra Consistorium essent, non quidem ut
sententiam dicerent, sed post *Inlustres* dignitates, inter Pri-
micerium Notariorum, et Magistros scriniorum, essent me-
di,

dii, ingrediendique in Consistorium saltem copiam habent. Non licebat his honorariis solum Consistorianis, participare augusti pectoris curas agendo, uti quidem Inlustribus Consistorianis, in id adscitis, sed arcanis tantum intererant, Principisque actibus, eiusdemque responsa audiebant. Notat istud discrimen ipse Gratianus L. III. de Metatis. Dicuntur isti *Spectabiles Viri*, et ab Arcadio nominantur, *Comasius* et *Clearchus* d.l. un. similiter a Theodosio iun. *Sperantius*, *Apollodorus*, *Theodorus*, *Viri spectabiles*, *Comites Sacri Consistorii* vocantur, et post quaeftores, ante Magistros memoriae ac libellorum, nominantur. Id quod probat *Inlustres Consistorianos* a *Spectabilibus* gradu fuisse distinctos. Notat idem discrimen *Cassiodorus*, L. VI. Form. Var. XII. *Spectabilitas clara, et Consistorio nostro dignissima, quae inter Inlustres ingreditur, inter Proceres adducatur, etc.* Quocirca prouocati moribus tuis, Comituum tibi primi ordinis largimur, ut *Consistorium nostrum sicut rogatus ingredieris, ita moribus laudatus exornes: quando uicinus bonos est Inlustribus, dum alter medius non habetur. Delectat te imitari quos proximitate contingis.* Et mox: *Te sequuntur omnes, qui Spectabilitatis honore decrantur.* Iuuat hic, ut lux dictis accedat maior, seriem Comituum primi ordinis, post Inlustres, subnectere. Erant Proconsules primum Illustribus proximi, post, Comites Consistoriani secundi ordinis, Primicerius Notariorum, Magister scriniorum, Comites militares, Praepositi et Tribuni Scholarum, Tribuni S. stabuli, Cura palatii, Comites Orientis et Occidentis, Vicarii Comitesque alii Rei militaris, Comites Inlustribus adfidentes, Comites et Archiatri Palatii, Rectores Prouinciarum, Professores in Vrbe CS. docentes et reliqui. Haec ideo apposuimus, ne Comites ordinis primi in Palatio, cum Comitibus ordinis primi in Consistorio confunderentur. Nunc pedem promouemus

B 2

ad

ad Inlustres, aut Inlustrium tantum non primorum quadrigam, Comites Consistorianos, in quorum censum uenient I. Quaestor, II. Magister Officiorum, III. Comes Sacrarum Largitionum et IV. Comes Rei priuatae. Hi omnes participantes Augusti pectoris curas agendo claruere, hi consiliis Principum in sacro Consistorio intersunt, et cincti adstitisse coram Principe dicuntur. Hanc quadrigam Inlustre illud Concilium constituisse atque inlustrasse probat L. V. de Fide testimoni. Pars actorum habitorum apud Imperatorem Iulianum Augustum in Consistorio, adstante Iouio Viro Clarissimo Quaestore, Anatolio Magistro officiorum, Felice Comite S. L. et R. P.

V. Comes Consistorianus I. Quaestor

Inter Cosistorianos Inlustres primo loco habeatur Quaestor, cuius dignitas et antiquitate, et auctoritate nulli est secunda. Graecis circa haec tempora dicitur Κοιτωξ uti Leoni Grammatico: pluribus Κουάιτωξ cum Simocatta, quandoquidem sic ad Latinos, a quacrendo, eam denominantes, propior accedit. Est autem τω βασιλεῖ πάτερ δρός Κοιτωξ τον καλέσον: *ad statim Imperatori, Quaestorem eum dicunt.* Procop. L. I. de B. Pers. Quaestoris munus multum cum ipso Principe commercii habet, ita, ut γλώτταν τη βασιλέως cum appellat Simocatta, Mauritanae Historiae statim in limine: *Iannem Imperatoris linguam, uirum in dicendo acrem, Romanarum legum sciensissimum, qui iussa Imperatoria maiestate digna sublimi elocutionis tenore pronunciabat, ostendit.* Lingua sibi familiari quaestorem dicunt Romani. Quid unquam hac Comitis, ac Consiliarii Consistoriani descriptione concipi potest splendidius. Codini Europalatae tempore dignitas eius non tanta fuisse, ex ordine atque serie officiorum colligitur, qua locum saltem XLVIII. obtinet, uestesque non adeo pretiosas gerit, pileum
(forte

(forte sericeum neque auro distinctum, utpote qui Illustrum erat Comitum, infra §. XVI.) Cabbadium et Scaranicum, quae similia sunt magni Tzausii ornamentis. Post, ubi haec ornamenta euoluerem, similia esse dicit Tatae aulici uestibus. Has ibidem cum indagarem, praeter sceptrum ligneum, nihil est. Ita nugantur Graeculi, et fallunt. Est autem uocabulum magni Tzausii, barbarum, e Turcis in aulam CSpolit. introductum, iuxta Leunclauium, in onomastico, Bassam, sive praefectum nobilium aulicorum denotans, qui in Aula CSpolit. Comitatuum in ordinem redegerit, Commissarii quasi aulici munere functus, docte noctante Iac. Goaro ad C. II. Codini de offic. ναββάδος Portius in Lexico reddit τύπευσθαι, σάγη Toga, fagus. Duplex fuit tunica interior, et exterior illa breuior fuit, et suras lambit, sinibus carens et plicis, globis sua mole conspicuis colligata, ad imum usque pectus, corpusque adstringens, et zona praecingendum, sub qua crurum motus limbos oris interius assutos et subductos manifestat. Exterior autem οναγάνιον est, tunica longior, ad talos desfluens, quae aperta geritur, et cingulo libera, sinuosa magis non est priore illa, licet amplior, unde et latioribus rectisque manicis, si expandantur, crucis formam exhibit, ideoque Simeoni Thessalonic. sacerdotum tunica, sive Senatoria, et procerum propria dicitur. Hodienum eo uti nobiliores e Turcis obseruamus. A sinistra zone parte quaestor Siromasten, quem uulgo solitam uocant, hoc est, pugionem acutiusque ferrum gerit. Nos ad antiquiora reuertimur. In Ecloga Leonis et Constantini A. A. Tit. V. quaestor potestatem habebat in eos, qui in magna Vrbe uersabantur, ex quacunque demum regione, aut cuiuscunque sexus essent, sive Clerici, sive Monachi, sive Moniales, sive ex aliis urbibus aduenae, aut cuiuscunque demum fortunae aut dignitatis fuissent. Inquirere

enim debebat curiose, quinam, unde, et quo praetextu uenirent. *Ius Graecor.* T. II. p. LXXXVII. et XC. Conuenit cum splendido hoc quaestoris officio adhuc Cassiodori aetas, et ipsius primum quaestoris, qui in Theodorici Regis Gothorum incidit tempora, ubi primum quidem redditum Regiorum summam rationem penes quaestorem esse (*Gallic. Surintendance des Finances*) uideamus, plura tamen adhuc et forsitan maiora, ex ipsa prouisionis formula quaestori data, colligere licet, quae in unum collecta eo tendunt, quod participet de secretissimis Principis cogitationibus, quod non sit alius, cui is credat custodiā et administrationē Thesaurorum publicorum, quod is iurabonorum Domanialiorum detegat, quod vox et lingua sit Principis, semper illi adstet, ac in conspectu eius ueretur, sententias Principis, quas propter summam maiestatem non tenetur ut interpretetur ipse, inuestiget, ac declareret, uiuaque adeo legum sit Bibliotheca, et ex tempore de iure respondere queat, semper paratus ad optimā consilia Principi suppeditanda, adeoque omnibus penē Conciliis, ordinibus ac Magistratibus intersit, atque consiliis suis in eos influat, apud *Cassiodor.* Magnum Senatorem, L. VI. uar. Form. et L. VIII. Ep. XIV. qua summi officii descriptione utrum distinctior ac clarior, ex ullo unquam auctore notitia peti possit, prorsus dubito. Videtur quoque ea quaestura cum Cancellarij supremi hodie dignitate tantum non paria facere, uti docte explicat de *Sainte Marthe* siue Sammarthanus *Vie de Cassiodore Chancelier et Premier Ministre de Theodoric.* le Grand Livr I. Chap. V. pag. LXXI.

VI Comes Consist. II Magister officiorum

Nominatur in Parte Actorum habitorum apud Imperatorem Julianum Augustum in Consistorio, post Iouium Virum Clariss. quaestorem, *Anatolius Magister officiorum* simulque

que summa Consistoriani Comitis dignitas designatur. Definitionem Magistri, quam nominalem vocant Scholastici, suppeditat *Paulus* l. LVII, de Verb. signific. quod sint, *quibus praecipua cura rerum incumbat, et qui magis quam ceteri diligentiam et sollicitudinem rebus quibus praesunt, debent apud Menag. Amoenit.* Iur. Ciu. cap. XXXIX. Non tamen unius generis sunt Magistri, de quibus quidem alibi uidendum, sentiendumque, de antiquis potissimum, satis magnifice. Huius tamen Magistri officiorum dignitas satis eminentia est, principalique tantum non aequatur. Appellantur enim Principes apud Cassiodorum, l. VI. Var. Form. utpote omnes militiae gradus, iam supergressi, primique in fago ac toga ab omnibus habendi. Ita uero Palatii principalis agebat curam, ut ordinem ministrantium in eo fedulo curaret, palatinisque officialibus praeslet, Maiestati itidem Imperatoriae sisteret Senatores ad illam missos, petitaque eorum prius explicaret, et quod maximum, Principem certiorem de Legatis faceret ad eum missis, illosque solemnni ceremonia introduceret. Et erant quidem haec talia, quae summam in Palatio dignitatem arguunt: accedunt autem alia, Postarum scilicet ac eorum publicorum ordinariorumque procuratio, itinerarii ac viarum structura, quae quidem publicae commoditati multum emolumenti pararent. Patet inlustris munera amplitudo inter alia uel ex eo, quod Praetorianorum militum officiales, uti et illorum, qui praefecto urbis essent subiecti, imperia Magistri officii agnoscerent, atque uenerarentur. Attonito splendore eum uigere dicit imperator, in l. un. Cod. Th. de Quaestor. et Magistr. offic. quandoquidem *Magisteriam* exercet, utpote Princeps officii Palatini, et sine ultra adiunctione, singulari modo, atque simpliciter Magister appellatur, quamvis Generalis dici possit Magister, cui praeter officiorum singularium Magistros, omnia officia Palati-

na subeſſent, Hinc *intuſtris ſummitas* Magiſtri, hinc in Co-
mitatu Principis erat, in eiusdem Conſistorio cum aliis ſum-
mae dignitatis uiris adſtabat, ſacrario Principis explorata
ſedulitate obediebat, Codicillos honorum, quibus adiuen-
di erant, ex praeecepto Principis adimebat, palatinosque in of-
ficio peccantes, puniebat. Sequieri aeno, Conſtantinus Por-
phyrogennetus, uti habetur in uita Basiliſi Macedonis, Ma-
giſterii titulum contulit *Simeoni Canonistae Graeco*, eum-
que, quod ipſe prole careret muſcula, in filium adoptauit, Ma-
giſtrorumque, quos περιθλέπτως καὶ περιθανῶν uocat, praef-
ulgente dignitate condecorauit. Adſcitis adeo his ad συν-
τελεῖα Imperatorum, non detrectarunt ulterius Imperato-
rum filii ac Despotae, aliique consanguinei, quominus et
ipſi Magiſtrorum titulo ornarentur non Maſtricht Hilſt. Iur.
Eccles. et Pontif. §. CCXC. conf. Allatii Diatrib. de Sime-
onib. p. XXV. seqq. Cum iſto Magiſtri officio, Sequieri
aetate Magni Domestici munus creditur conuenire, poſt-
quam cuiuslibet rei uel ordinis Praefectus a Graecis Διοκέτης
appellatur, quemadmodum etiam Ioannes Citi Epifcopus
per ἐξάρχοντα τροπγύμενον καὶ ἐπισάντην, interpretatur. Flexa deinceps
haec uox a familiari ad militarem dignitatem, ita, ut
apud *Commenam* mox στρατηγὸν ἀυτοκράτορα, Praefectum Prae-
torio, militaresque sub Imperatore copias ducentem, et ſic
communium rerum administrationem ſub eo tenentem,
denotaret, in quo maximam partem cum officiorum Ma-
giſtro, illuſtri Conſistoriano Comite, a nobis deſcripto, in-
telligitur conuenire. Ceterum uaria Domesticorum apud
recentiores Graecos genera, ſibi inuicem ſubordinata, ui-
dere licet apud Catalogorum dignitatū Graecarum Com-
pilatores, paſſim.

VII. Co-

VII. Comes Conf. III. Sacrarum Largitionum

Mentio porro in parte Actorum allegatorum, tertio loco fit, Felicis, Sacrarum Largitionum Comitis Inlustris et haec Comitis S. L. erat dignitas, Comitiva Consistoriana dignissima. Praeerat hic Comes aerario publico, ex quo Largitiones sacrae, siue Imperatoriae, donaque Regia, stipendia et praemia, hoc dispensante, depromebantur. Et satis quidem blanda, ac magnifica plane aerarii appellatio est ea, quasi optimus Princeps pecuniae tantam copiam non ob aliud colligeret ac possideret, quam ut alii merentibus iterum benignissime elargiretur. Aedes huic aerario Byzantii destinata *τὸ τερενὸν*, *Genicum* appellatur, in quod reponebant, quicquid ex tributis et uectigalibus colligebatur: quae bona I^UCtis fiscalia nuncupantur, et ad reipublicae usus destinata habentur, neque in haeredem transeunt. His bonis qui praeesset, Comes S. L. appellabatur, Gallis dictus *Comte des Liberalitez Royales*. Iura atque priuilegia huius S. L. Comitis singularia plane erant, siquidem eius sub auspiciis moneta cudebatur, signabaturque, cura imaginis Imperatoriae ei imponendae, non minus ac reliqua quae inscriptionem annumque accuratissime designarent, ei commissa. Vtebatur eius ministerio Princeps in honoribus, dignitatibusque distribuendis. Non minus rei maritimae, ac commerciorum procuratio, in primis autem salis uenditio, id quod singulare Principi eo tempore fuisse circa salinas per totum Imperium, Ius ostendit, ab eius imperio pendebat. Multi praeterea aerarii huius publici officiales erant, quibus ille praeerat unus, sive per totum Imperium potestas eius atque iussa spargebantur. Recensentur omnes eius officiales in subscriptionibus Hypomnestici, Alexio Comneo porrecti, in Rationali praeceptorum, seu *παλαιὰ Λογισμοὶ*, quod Montfauconius cum aliis opusculis Graecis publicauit. Subiectos sibi habebat praeter Comites Largitionum, qui et-

C

iam

iam Comites aerarii dicuntur, Comitem Italicianorum, Comitem Gallicianorum, Comitem Largitionum orientis, Comitem aerarii per Africam, Comites Thesaurorum cum Thesaurariis, Scriniariis, Rationalem, a quo ad Comitem S. L. appellatio mittebatur, praeter hos, inquam, Praefectos adhuc baphiorum, textrinorum, Magistros lineae Vestis, Magistros priuatae, murilegos, Gynaecarios, etc. Statius res eo loco repositas *sacras opes, sanctasque appellat*, partim, ut designaret, innocentes, et sine violentia esse collectas, partim, quod Graeci, ut Imperatorem ipsum sacrum et sanctum, ita omnes etiam ad eum pertinentes res, sive publicae sint, sive priuatae, sacrarum nomine appellant. Collegit talium epithetorum sacrorum bonum Numerum ex ipsis Imperatorum Constitutionibus Iac. Godofredus, ad Tit. de Constitutionibus Principum et Edictis

VIII. Comes Consist. IV. Rei Priuatae

Additur his in actorum parte Comes R. P. Rei priuatae, sive Rerum Priuatarum. Exitit Byzantii aedes *idem* appellata, quae aerarium priuatum complectebatur. Ita res etiam priuatae Principis, et bona patrimonialia, Largitiones dicebantur, eaeque non tantum in auro et argento, gemmis, uestibus, aliisque mobilibus rebus consistebant, tunc etiam in Domibus, Palatiis, praediis, praediis et possessionibus positae erant, ita quidem, ut, quemadmodum ex aerario publico, iussu Principis Largitiones expromebantur, ita etiam ex aerario hoc priuato, Largitiones saepius fierent. Ne autem fines auctoritatis eius nimis essent circumscripsi, uti primum erant, addita deinceps et quedam Iurisdictio est, uidelicet cognitio criminis incestus, aliorumque uitiorum, in quae uel naturae confusio, uel brutalis quorundam natura quandoque inclinare uidetur. Non minus auaritia illorum puniebatur ab hoc Comite,

qui

qui sepulchris non parcebant, uerum sacrilegas manus ab eorum direptione minime abstinebant. *Cassidor.* L. VI. Form. VIII. Recentiori aevo Generalis Logotheta Vtriusque Comitis munus tenuisse uidetur, unde Codino uocatur ο λογοθέτης τῆς Γενικῆς. Idem enim est Genicum, de quo paulo ante locus CSpoli, quo subditi ius tributorum excoluunt, negotiatoresque uectigalia pensant. Από τῆς Γενικῆς, secundum Cedrenum, siue ἀπὸ γενικῶν, ut Europalates uult, factus est Nicephorus Exgenicus Imperator, Γενικὸς λογοθέτης dictus. Ultimus inter generales Lagothetas sub Imperatore Andronico Palaeologo fuit *Theodorus Metochita* propter merita satis celebratus. Varia de his legi possunt apud doctissimum Goarum, qui descripto propius Generalis Logothetae officio, summas aerarii rationes, computa, praefecturamque continent, a Cancellario Galliarum hodierno eum non multum differre, accurate statuit, in obseruat ad Georg. Codini de Offic. CSpol. C. II. Alia numeroſa Logothetarum uarii generis, et inferiorum quan- doque graduum nomina, et officia, in Catalogis dignitatum Graecarum saepius allegatis, haud rara leguntur

IX. Comitum Consist. quis gradus inter Inlustres

Nunc de honoris gradu atque loco, quem inter Inlustres tenuit haec Quadriga, est dispiciendum. Tres potissimum Inlustrium classes, ut essent, decreuerunt Imppp. Gratianus, Valentinianus, et Theodosius. Ad primam pertinent Consules, Praefecti, Magistri Militum, et Patricii. Ad secundam Praefecti Praetorio, Praefecti urbis, Magistri Militum, equitum scilicet peditemque. Aucti tandem sub Theodosio Iun. ubi Praepositus sacri Cubiculi illis adiectus. Tertiam denique classem ornabat Illustris Comitum Consistorianorum Ordo, qui, uti L. I. Cod. de Quaestor. Magistr. Offic. ect.

a Valentiniano constituitur, ita a nobis in explicatione uberiori, retentus est, atque obseruatus. Ipsa autem lege allegata, non solum pristinum iis honorem Imperator confirmat, verum etiam Proconsularibus eos praefert. Neque tamen alligati adeo ad hanc tertiam Illustrium classem erant, quin subinde ad secundae, primaeque classis illustres honores adscendere potuissent. Interim iam in eo, lege allegata, secundo ordini aequantur, *ut solita acclamatione exciperentur, nec praeterirentur ut incogniti, atque ut non aequandi illis qui gesserint Praefecturas: sed eo obseruarentur cultu, omni coetu, omnique conuentu.* Solebant scilicet acclamationibus, cultu et honoribus uariis, dignitates illustres aduenientes excipi, ubi ad coetum uel conuentum procederent, de quibus acclamationibus Κρότοις ἐνΦημίας, quae Consulibus et Patriciis sunt factae agit *Chrysostomus*, initio homiliae in Eutropium. Christiano quoque ritu, insignis his uiris Illustribus honos est habitus, ut, siue patricius esset, siue munere publico, aut legatione nobilis, accederet ad urbem, huic ciues extra muros cum Crucibus occurrerent, crucesque praferrent. De quo Crucis praeferenda ritu, uaria erudita commentatur *Petrus Iosephus Canelius*, Histor. urbium Metropolit. Dissert. III. CAP. VII.

X. Notarii ad Consistorium pertinentes

Magnae olim dignitatis Notariorum ordo, siue Collegium fuit, militiaque illustrior uocata, eo quod Tribuni et Notarii dignitas frequentius coniungeretur. Officium eorum erat, Acta in hoc Principis Consistorio concipere, unde diserte dicuntur *Notariorum officio fungentes inter consistorii secreta, et Notariorum Primicerii de Consistorio Principis discedere*, L. II. Cod. Th. de Primicerio et Notariis. Hinc apud Cassiodorum L. VI. Form. Var. XVI. in formula Notario-

tiorum habetur: quod Principis secretum et Consilium
iis committatur, Principisque curis affida lucubratione mi-
litent. Notarii scilicet indicium faciebant, forasque effe-
rebant responsa Imperialia, Primicerius autem eorum, Ora-
tiones Imperatorum in Senatu recitabat. Æquatur sub
Imperatore Valentianono III. haec Notariorum primicerii
dignitas, uti ista Comitis Consistoriani, Consiliariis status
modernis, ita hodierno status Secretario illa, committeba-
turque non nisi Viris, quorum merita iam omnibus essent
conspicua, quique auctoritate multum ualerent, ideo, quo-
niam proximus ad Principem intimiorque accessus illis pa-
teret, utpote cuius secreta tractarent. Erat sub huius Primi-
cerii uel Primi-Notariorum dispositione omnis dignitatum
et administrationum Notitia, tam militarium, quam ciuilium,
Scholas idem et Numeros tractabat, ut habetur in
Notitia Imperii. *Claudianus* Poeta, ipse Tribuni et No-
tarii dignitate perfunctus, non inuenuste in Palladii Epi-
thalamio utriusque officii exponitrationes. Seniores Pro-
tonotariorum sive Primicerii, quando quietis et uacationis
cupidi ex eo Consistorio discederent, Ex-Notarii uocantur,
dignitateque Vicariis præferuntur, Proconsulibus autem
aequantur. Hinc incipit ab iis *Ordo Spectabilitum*, utpote qui,
nullo interueniente ordine alio, Inlustres Consistorianos sub-
subsequuntur. Non raro hi adscendebant ad alia officia, quasi
pro more, uel honoris titulo contenti, inter Inlustres recipie-
abantur, et sic *Vacantes* dicebantur. Vbi tamen et ipsi
Honorariis iis, qui nulla dignitate antea functi essent, præ-
ferebantur. Reperiuntur passim inter Byzantina officia,
uaria quoque Primiceriorum genera, ita, ut plures in cho-
ro et foro isto nomine insigniantur. Subsequente tempo-
re Protonotariorum dignitas inuauit, quae in Graeca Ec-
clesia fuit tanta, ut de eorum officio haec propemodum singu-
laria legantur apud *Allatum: Stare eos in sancto tribunali ad*

Pontificis obsequium, uariisque ad altare officiis fungi: scribere eos etiam singulis proceribus et principibus a Pontifice mandanda: iurisconsultos pariter bis in anno visitare, et quacunque pacta, uenditiones, testamenta, et servorum manumissiones inquirere, et difficultates inde faborias ad Pontificem referre. Vocatur Protonotarius a Codino Θύρᾳ τῷ εἰς αὐτοὺς λόγῳ, quoniam illud officium inter omnium supremos, et ἡ τῶν ναζαρολῶν, extra numerum inferiorum incipiat numerari. Ut adeo in numerum sex illorum, Patriarcha inferiorum, referatur, licet in ea classe ultimus existens. Premicieros hos, uel Protonotarios faepius ad Concilia ab Imperatoribus esse missos, uariasque sacras expeditiones, uel ut restituerent episcopos, uel simile quid agerent, iis esse commissas, ex Conciliorum discimus Actis. Inter sanctos celebrantur *Martianus* et *Martyrius*, Notarii, qui quod Pauli Patriarchae CSpol. γερμανίας fuissent, ab Arianis sub Constantio Imperatore sunt interfici. Meminerunt sepulcri eorum atque *Ædis*, Synaxaria ad D. XXV. Octobr. sicutque expresse designant, in Tractu *Dentero* nuncupato, in regione urbis XII. ad Portam auream. Conueniunt occidentalis Ecclesiae Martyrologia, quorum, meo quidem iudicio, summam perpetuo nexu sistere potest Martyrologium *V Guardino Sollerianum*. Barbaro uocabulo Premicierius notariorum uocatur ο πρωτασπηθης, item πρωτοσηηης, quia esset γερμανικός τῶν αποβέτων. Supereft ut moneamus, non confundendum esse hoc Principis Secretum, cum eo, quo Praefecti, ut Auditorio fuit usi, quique etiam Assessores in eo suos habuerunt, qui virorum Inlustrium Adlessores, et Spectabiles, Clarissimi item, uocantur. Dicitur recentioribus, Protoascretis ipse aliquando, solusque iudicium exercuisse. Atenim uero, horum, de quibus nos loquimur, ratio temporum, nullam illi, ut solus iudicet, potestatem permittit. Ista enim iudicandi potestas sequori actate

aetate ad Mysticum pertinuit potius, qua ^{βασιλεὺς πρώτος τῶν Σενέτων} id est, Consistorii Secretioris Regius ac primus appellatur Minister

XI. Praeses Consistorii, Imperator

Suidas Imperatorem ipsum Mysticō Concilio, uel Secreto, ac Consistoriano praefidere scribit: ὁ βασιλεὺς καὶ τῶν μυστηγῶν ἀμφὶ τοῖς ἐπιμελήσις προτεσταταῖς. Id uero quod ex antea allatis, ubi adstabant coram Imperatore Consistoriani, clarius est ostensum. Reperitur inter officia Ecclesiastica Constantinopolitana ὁ ἐπί τῆς ἱερᾶς καταστάσεως, quem Junius Praefectum Sacro Consistorio esse putat, a Gretsero ea propter erroris arguendus quandoquidem rectius in Iure Graeco-Rom. Praefectus sacrae stationi, cuius sit ἐντὸς τῶν βημάτων, intra tabernaculum, intra altare ipsum ἑταξιαν, rectum debitumque ordinem conseruare inter Ministros, et alios, denotari eo videatur. Est autem ille in tertia Pentade Officiorum Ecclesiasticorum, in ordine quintus. Rectius fortasse Sacrarum Largitionum Comiti adscribitur a Godofredo, quod non solum adstiterit in Consistorio Principis, perum etiam vice Principum Cognitionem habuerit, vice Principis cognitionibus praesederit, unde etiam Auditorii sacri iudicium ei tribuatur, idemque facri Auditorii cognitor dicatur. Quorsum pertinet et hoc, quod sub eius literis publicae nonnullae constitutiones proponerentur. conf. Notit. Dignit. Civil. et Militar. quis enim crederet, principalem Maiestatem, tot tantisque rebus circumfusam praelentem ubiuis esse, quotidie in sacro Consistorio praefidere potuisse

XII. Consistoriani Praesides Politici in Conciliis

Praeter res autem Civiles, Ecclesiasticae etiam causae ad Sacrum hoc Auditorium sunt relatae. Patet id partim, ex summo circa sacra lure, quo potissimum Graeci gaudebant

Im-

Imperatores, partim ex uariis Legibus atque Constitutionibus, quae uel Episcopalem audientiam, uel Clericorum immunitates, aliaque eiusmodi Ecclesiastica negotia definiebant. Praeses enim Politicus fuit *Fl. Candidianus*, Comes domesticorum, non aliis a Comite siue Magistro officiorum, iuxta §. VI. in Ephesina Synodo, ut Theodosii et Valentiniiani nomine omnia in eo componeret, ac iuxta formam sibi ab iisdem A. A. præscriptam, expediret. Vbi quidem simul patet, Versionem Latinam istorum Actorum, in eo, quod Comites eos, *Iudices* scribat, fallere uehementer. Ipsa enim Synodus edicit: Nihil quicquam cum quaestionebus et controuersiis, quae circa fidei dogmata incident, cummune eos habere. Hi itaque Comites, absente Imperatore, cujus, ut summi Politici Praefidis, sella, reuerentiae causa, stetit uacua, disposuerunt alia, spectantia saltem ad ordinem, nihil uero ad causae cognitionem, sed ad Synodi *curatælav*, seu compositum ordinem, cuius sibi olim curam viadicarunt Principes, pro imperii societate cum Sacerdotio, nihil uero ad ipsam tractationem, ac Iudicium de Dogmate. Ita urget suos Constantinus Imperator in Synodo VI. contra Monothelet. ut Canonicæ satisfaciant Romani Pontificis legatis. Ita Magnus Constantinus uidetur non pauca contra Arium dixisse in Niceno concilio, teste Eusebio L. III. de eius Vita. tametsi pius Imperator non ageret fidei iudicem, nec tamen aderat pius Princeps ut stipes, uel nudus auditor. Ipse quoque secum habuit Comites, una cum illis Concilio assistens. Acta Latina Comites eiusmodi Præsidentes, uocant *Iudices*, atenim uero non uocantur *dīnāsai*, sed *ἀξοντες*, Magistratus siue proceres, honorabiles Viri, uel Synodi conlucratores, ac libertatis partium, Constantino adjuncti. A quo partium studio plane alienos eos fuisse, uel inde colligi potest, quod *Candidianus* Comes Concilio Ephesi-

Ephesino a Theodosio directus, *Irenaeum* Comitem Nestorio addictum, interesse Synodi consiliis uetus erit, nec ullo modo communicare iis, quae Candidiano commissa erant, suspecta nimirum persona, ac per quam turbae oriri possent. Patet Comitum horum fides atque auctoritas, ex eo, quod, ne causari possint rei, corrumpi interim, dum sessio solueretur, suos Codices, decretum sit : σφεαγβίδωσαν ἐκ τε τῶν ενδοξοτάτων αρχόντων, οὐσιγένεται a glorioſiſimiſ Procerib⁹. Eorum porro studia commodabantur diſponenti ſacrae Synodo, cum ubique legatur : ὁ ἐνδοξοτάτος ἀρχωντες καὶ η ἀγία σύνοδος ἄπον. notante eruditissimo *Combeſſio* Difſert. Apologet. pro Actis Synodi VI. p. LXXII. Idem Comites in Synodo Chalcedonensi sub Marciano, cum non ubique praefens effet Imperator, adiſtebant, cumque in ea Synodo omnia uacillarent, patresque in diuersas irent partes, aliique propenſiori in Diſcorum eſſent animo, clamoresque impor‐ tuni fierint, referri hoc ad Imperatorem decreuerunt, qui deinde tempeſtive adſuit, non quidem uim patribus illaturus, fed rebus gerendis uim ac robur allaturus, quod ex oratione eius tum habita patet. In Synodo VII. Nicaeae habita, Comitum ac Principum uultus in Synodus ac ſacra Euange‐ lia conuersi fuiffe leguntur. Sedes enim magnificientiſimo‐ rum et glorioſiſimorum Iudicum, (uti in Latinis Actis scri‐ buntur) et ampliſſimi Senatus, fuit in medio ante cancellos sanctiſſimi altaris. Propoſita in media erant ſacrosan‐ cta ac uenerabilia Euangelia. Similiter Praeſidum ſub Imperatore Conſtitutorum officium ex Actis quibusdam in Conſistorio, in Palatio Blachernarum tum habito, elu‐ cet. Anno enim MCXLVII. Cosmas Atticus, Patriarcha CSpol. quod Bogomili Niphonis ſectae addictus effet, eſſe de pellitur, teste *Cinnamo*, L. II. n. X. ſententiaque de eo

D

in

in Palatio Blachernarum lata est, praesidente Manuele Comneno Imperatore, cum Imperatoria familia, aliisque non paucis Senatoribus et ciuilibus iudicibus simul assistentibus et Ecclesiasticis Praefidibus, quod Graece habet: καὶ τὰν πολιτεύων δικαστῶν συμπαρισταμένων αὐτοῖς, καὶ τὰν ἐκκλησιαστῶν ἀρχόντων. Συμπαρισταμένων καὶ τῆς ἱερᾶς συνόδου. conf. Summe Reuer. Hammarburghenſium Theologi ac Polyhist. Io. Christ. Wolffi, Patroni nostri Colendi Historia Bogomitorum, p. XXXVIII

XIII. Secretarii Confessoriani in Conciliis

In Concilio Chalcedonensi Oecumenico *Beronicianus* deuotissimus Secretarius, legitur, qui ex Codice, ἀπὸ τῆς καθοδίου, recitabat diuersas literas. Action. I. in singulis fere paginis reperiundus apud *Ser. Binium*, T. II. Concil. dicitur ille calamo omnia excepsisse, quae a reuerendissimis episcopis dicebantur. Habuit hic sacer Secretarius adiutorem sacri Secretarii, qui Constantinus, deuotissimus *agens in rebus*, uocatur, Graece, Μαρισκευός ὁ Βοηθός τῶν Θεῖων σημείων. apud *Binium*, Action. I. sub Tit. *Chalcedone Acta* p. XLIX. Imperatoriis his Secretariis iuncti alii Ecclesiastici, Secretarii atque Notarii, quorum quae in Synodis suerint partes, ex Actis Synodi Vniuersi VI. communicabo. Erat in ea Synodo VI. in qua Honorius et asseclae Monothelitae sunt condemnati, Agatho, secreti Protonotarius, cuius officia ex Graeco, ex peroratione eius ad Acta sanctae Synodi describam: Peccator ego, inquit, ac omnium minimus, Agatho, indignus Diaconus, ac magnae Ecclesiae scriniorum Thesaurarius, Patriarchalisque secreti Protonotarius, ac secundus Cancellarius, ante triginta duos plus minus annos, Lectorum ordinis accensus, ac inutilis Notarius agens, Synodo operam commodaui,

ui, uniuersa, in ea mota quaeftaque ordine affectatus, una cum
Sancto PAULO, bactenus Laico, ac Imperatori a Secretis, post, urbis
Archiepiscopo et Patriarcha, ac aliis quibusdam. Omnes porro,
pergit, Tomos Actorum prafatae Synodi, mundo Codice propria
ipſe manu Ecclesiasticis libris conſignati, qui et ſub ſignaculis
una cum fidei definitione, quam Santa eadem Synodus palam
edidiffet, patrum ſubcriptione munita exemplaria codem conſcri-
psi modo, ita jubente piae recordationis Imperatore Constantino,
ac ſic fieri präcipiente, quo fidei orthodoxæ ſinceritas atque
ueritas nullis infidiis patet. Ex quibus patet, Secretarios
accurate exceperille, ſedulo mundaffe, Patriarchas
recognouiffe, ſingulis Bibliothecis Patriarchalibus exem-
plar traditum eſſe, in fidem, uidiimus loco, Patriarchas ite-
rum ſingulis ſubſcripſiſſe, in Archio palatii Imperialis ex-
emplar reponitum eſſe, ipsosque probatae fidei, ac munere
probe defunctos, Secretarios ad altiores honores adſpi-
raſſe. Idem Agatho Secretarius, Archidiaconus tandem,
et custos sanctae Ecclesiae librorum (Chartophylax) cum
Actorum Librum communicasſet cum Andrea Cretensi
Archiepiscopo, iſteque propria eum manu descriptiſſet,
Iambico carmine, orthodoxiae teste, ab eo honoratus
librum recepit. Iambos Andreæ integros exhibet
Combeſis. Hist. Monothel. p. CCXXXV. Ple-
niorem antem amicissimi huius Agathonis Viri, notiti-
am licet haurire ex Summe Rei. Theologiae, et Hamma-
burgensis Gymnasi, Doctoris, Io. Alb. Fabricii, Patroni
noſtri Colendi, Indice eruditissimo, de Melodis Graccorum
L. V. Bibl. Gr. et alibi paſſim

XIV. Comites Consist. adstiterunt praesente Principe

Præsidente Imperatore in hoc Sacro Auditorio *adstiterunt* Consistoriani Comites, teste Parte Actorum §. IV. exposita Accedit testimonium Ambrosii Epist. XXXIII. qua eos *Principes uirtutum viros* uocat, seque in Consistorium intromisum, *inter Consistorianos* stetisse, neque adscendere uoluisse ad Imperatorem qui assurrexerit, ut osculum daret. Vnde apparet hoc aeuo, Imperatore sedente in Consistorio, adstitisse adhuc Consistorianos. Etsi alias superiore seculo in arrogatione Aurelianii, Valeriano ad sedisse dicantur ab Acholio magistro Admissionum, apud Vopiscum, Consul, Praefectus praetorio, Praesides, Ducesque, etc. notante Godofr. ad l. un. Cod. Th. de Comitibus Consist. Absente autem Imperatore, relicta quidem Maiestatis ergo, sella eius uacua, uti in Conciliis fieri solitum, eos confesdisse, nemo unquam dubitabit

XV. Priuilegia Comitum Consistorianorum

Primi ordinis Comitiua honorabantur, diuinisque epulis, Mensae uidelicet Imperatoria, adhibebantur. Imperatoria ad eos literae datae titulum Inlustris, uel *Sublimitatis Tuæ* praeferebant. Insignia sane sunt priuilegia, quibus gaudebant Comites huius Synedrii, collecta a Godofr. ad Leg. allegat. scilicet, ut Conductores rei priuatae fidei iussores dare non cogerentur, ut immunes essent a sordidis muneribus, a præbitione tyronum, equorum, excepto necessitatibus casu. Idem l. III. de Metatis, excipiuntur atque immunes a metato et ab hospitalitatis munere, cum aliquot suarum domorum : non tamen omnes ex Consistorianis, sed ii so-

ii solum, qui participantis Augusti pectoris curas agendo claruerunt. quam Comitum Consistorianorum distinctio-
nem notauimus supra ad §. IV

XVI. *Vestitus atque Insignia Comitum
Consist.*

Veste utebantur auro texta. Palmata etiam siue ad instar palmarum ramis distincta, auro intextis, maxime si Consulū dignitate ornarentur ab Imperatoribus, qui honor Ausonio a Gratiano collatus, et Cassiodoro a Theodorico, adiecta aurea ueste palmata, in memoriam victoriarum a Coss. obtentarum. Alia ornamenta, ut pilei ex auro ductili rubri, reliquaque insignia, recentioris esse aetatis patet ex Catalogo, ex octo MSptis Regiis collatis confecto, Codinaeoque auctiore, recentiorem sapiunt aetatem, et uel Mysticō, uel Protoascretis attribuuntur, qui ex ordine *Matthaei Iatri* Monachi, septimum inter officia Palatii tenent locum. Nos, qui Consistorianorum dignitatē a quarto, usque ad sextum seculum post C.N. metimur, uestium genus ex habitu Magistrorum, Patriciorum, Comitum Largitionum, Consulūque istorum temporum petendum esse, non temere arbitramur. Et sic ex Tabulis Codicillarib[us] eburneis Consulū, seu Diptychis, a Philoxeno, Consule Orientali, Senatui cuidam anno Dn. DXXV. donatis patet inscriptio: Fl. THEODORVS FILOXENVS SOTERICVS FILOXENVS VIR ILLVSTR. COM. DOMEST. EX MAGIST. M. PERTHRACIA ET CONS. ORDINAR. Cuius Diptychi specimen in aes incidi curauit *Sirmondus* in Notis ad Sidon. L. I. Ep. VI. quod maiori forma repreſentat *Bandurus*, postquam utriusque tabulae co-

D 3

piani

piam ei fecisset Ruinartus. Idem exhibet *Mabillonius*, L. III. Annal. Benedict. Dono autem Diptychum Ecclesiae Compendiensi dederat Carolus Calvus Imperator. Imagines ita explicat Mabillonius: Philoxenus dextra sportulas gerit continentes solennia munera, quae spargi aut mitti solebant in auspiciis consulatus, aliorumque Magistratum, in quo id singulare, quod loco aquilae eiusmodi baculis, sceptro similibus imponi solitae, caput hominis supra eius globulum ponatur, ipsius Philoxeni, an Iustini Imperatoris, cuius anno VIII. Philoxenus cum Anicio Probo iuniore Consul erat. Altera Philoxeni imago securim ebore distinctam gerit. De aliis Consulium ornamentis et insignibus legi potest Ducangii Dissertat. de inferioris aeni numismatibus Tomo III. Glossarii Latini subiecta. Additur apud eundem Bandurum, Comment. in Antiqu. CSpol. L. I. de altero Diptycho Comodoliacensi apud Lemouicos, quod duplum Flavii Felicis Consulis effigiem, forte eius, qui cum Secundino consulatum gesit, a. DXI. idemque *Comes ac Magister utriusque militiae, Patricius et Consul Ordinarius* fuit, quemadmodum inscriptio praesert. Habitus eius a priori in quibusdam est diuersus. Baculus est longior ac iustae magnitudinis figura duorum capitum humanorum ornatus. Vesti superiori humerale innectum pretiosum, auroque multo figuratum, ac palmis, insigni uestium Consularium, adpersum, super quod pallium. Interior uero tunica ad talos usque desfluit. Baculus sinistra, dextra manu Codicilli tenentur

XVII. Locus, in quo Consistorium

Dispiciendum tandem de ipso loco, in quo sacrum Consistorium fuit celebratum. Generatim ille erat Basilica Constanti-

stantinopolitana, uel ubi erat sacrum Palatum, siue Capitolum CSpol. Deinde apud Scriptores passim *natus* atque *nōnum* occurrit Consistorium. Vetus illud proprie locus fuit, in palatio, Cubiculariis potissimum addictus, in quo excubabant ii potius, quam cubabant, ut ad Domini natus paratores essent. Cum igitur in hoc interiori Palatii vestibulo (e quo in silentiorum primum, deinde in ipsum Principis cubiculum uenitur) consisterent, qui Principis audientiam praestolabantur, ipseque Princeps ex interiori cubiculo in hoc exterius progrederetur, quo supplices audiaret, et causas ac negotia subditorum dirimeret, in eo sedebat pro tribunali, *inquirentibus in negotium et disponentibus Consistorianis.* Ammian. L. V. Atque inde Consistorium coepit appellari generatim quis locus, in quo de publicis rebus cum suis Consistorianis Imperator deliberat. Ita in Thermis s̄epius, earendemque palatiis Consistorium habitum esse legimus. Donec Iuri dicundo nouum Consistorium extruxit Iustinianus, in ea urbis parte, quam *Hebdomum* uocabant. Author Anonymus Antiquitatum CSpol. n. CCCXXIV. exhibet Inscriptionem Consistorii in Palatio Hebdomi extructi, quae ita habet:

Φαρδὸν Ιεζπιανὸς ἀναξ ἐπέ χᾶσον ἔγείρει
Ηελίῳ παρέχων Θάμβος αὐτεχομένω.
Οὐποτε γαρ τοιότοι εἰνι χθονὸς ἐδεκάει κάτιος,
τύψοθεν δραντίου ἐπεξχόμενος.

Latine sic:

Egregias aedes has struxit Iustinianus,
Adspectu quorum sol oriens stupeat.
Nil etenim toto tam pulcrum uidit in orbe,
Ex quo coelestes permeat ille vias.

Licet

Licet autem Procopius, qui aedificia Iustiniani accurate satis exposuit, huius non meminerit Consistorii, mentio tamen eius in aliquot legum Inscriptionibus occurrit: *recitata septimo miliario huius inclytae ciuitatis in novo Consistorio Palatii Iustinianoi ut l. XII. de Reb. Cred. l. III. de Iure Dot. etc. aliae recitatae in Palatio nouo Iustinianoi, ut l. XXII. de Sacros. Eccles.* Possent nunc alia quoque, ad originem Consistoriorum Ecclesiasticorum, occasione horum Ciuilium, moneri, uerum, cum non minus, quae separatim pertractetur, ista digna sit materia, in hoc, quem nunc exantlauimus, labore tantisper subsistemus

XVIII. Peroratio operis

Sequitur, ut, quoniam nunc satis de Comitibus Consistorianis, sacriisque huius Auditorii origine, auctoritate, dignitate, progressu, negotiis, adiutoribus, delegationibus, insignibus, priuilegiis, situ, aliisque locuti sumus, uela nunc contrahamus, partim ne ipsa tantarum, optimarumque rerum mole opprimamur, partim ne instituti modum praeter necessitatem transeamus. Modo illud nobis concedatur, rogamus adhuc, ut haec qualiacunque ueniam apud beneuolum, eruditumque Lectorem nanciscantur, nosque, non ex exasciata ubiuis, quae in obscuris adeo Graecae antiquitatis fontibus, tantum non impossibilis est, eruditio ne, sed ex solo inuestigandi, aliisque uiam praeundi studio, iudicemur. Quod si fiet, nos quoque, ut aliquando, Deo uitam, uiresque largiente, a nostro ingenio meliora, praestantioraque inueniantur, omni ope atque opere enitemur

Wittenberg , Diss., 1720



f

sb.





V. v. 10. n. 19
18 - 1720, 14^a

Q. D. B. V.
HISTORIA
COMITVM
CONSISTORIANORVM
IN
IMPERIO ORIENTIS

P R A E S I D E
IVSTO CHRIST. THORSCHMIDIO

L. A. MAG.

ORD. PHILOS. ADVNCT.

AD DIEM XXXI. DECEMBER. A. O. R. MDCCXX

IN ERVDITORVM CONSESSV

EXPLICANDA

A

CAROLO FERDINANDO ZSCHOCHIO
STAUCHA-MISNICO

PHIL. ET LL. CVTORE

VITEMBERGAE
LITERIS SAMVELIS CREVSIGII.

